

Witte S. 271 irrthüml. zu 1083.

scopus prudenti se oculo undique circumspiciens etiam auctoritatem pape Gregorii super hoc expecit; quique illi litteras suo sigillo signatas cum benedictione apostolica dedit.

Witte S. 273 zu 1088.

Benno venerabilis Osnaburgensis ecclesie episcopus obiit sexto Kal. Augusti sepultusque est in monasterio Iburgensi, quod ipse fundaverat ante altare sancte Crucis. Hic vir venerabilis defuncto item Bennone qui et Beringerus predecessore suo Goslarie a rege substitutus est. Nam cum rex de morte Bennonis primi non modice contristatus fuit, eo tamen se putabat hunc quem de mortuo acceperat consolari posse moerorem, si in locum eius subrogaret parem eius nominis et virtute Bennonem. Adunatis igitur in Goslaria qui ad episcopum constituendum adesse deberent eorumque super Bennone perquisita sententia omnes unanimiter tot eius audita(!) virtutibus voce et manibus consensu et animis sibi illum preesse episcopum devotissime acclamando laudabant. Verum ille ut sapiens proprie infirmitatis conscius oblatum honorem ea cepit excusatione renuere, quod mundialibus semper negotiis occupatus minus se studiis exercuisset internis indignum esse vociferans, eum in episcopum eligi qui seculi

Vita cap. 21.

Verum tamen episcopus noster omni semper prudentiae circumspectione contectus — —

cap. 13.

Contigit autem eodem defungi tempore venerabilem virum Bennonem qui et Berengarius dicebatur episcopum Osnabrugensem. Rex autem etsi de eius morte non parum contristatus erat, eo tamen se putabat hunc quem de mortuo acceperat consolari posse moerorem, si in locum eius subrogaret parem eius nomine et virtute Bennonem. Adunatis igitur in villa Goslaria qui ad episcopum constituendum adesse deberent eorumque super domino Bennone requisita sententia omnes unanimiter tot eius auditis virtutibus voto et manibus consensu et animis sibi illum praeesse episcopum devotissime acclamando laudabant. Verum ille ut sapiens propriae infirmitatis conscius oblatum honorem ea coepit excusatione renuere, quod mundialibus negotiis semper occupatus minus sese studiis exercuisset internis indignum esse vociferans, eum in episcopum eligi qui saeculi actibus ma-